



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici


In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio I. De fine Humanarum operationum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



THEOLOGICÆ
SCHOLASTICÆ
TRADITÆ

Secundùm Doctrinam Angelicam

D. THOMÆ AQUINATIS,
TOMUS II.

In primam secundæ Partis Summæ Angelicæ.
PROLOQUIUM.

N priori Tomo contemplantur DEUM Opt. Max. tanquam optimum speculabile; & primò quidem, prout suis increatis perfectionibus nostrum intellectum absorbet; secundò prout est principium intraneorum processionum, & ineffabile mysterium SS. Trinitatis complectitur; tertio prout est principium creaturarum ad extra, præcipuè creaturæ Angelicæ.

Nunc Eundem consideramus, tanquam finem ultimum, & summum bonum, quod nostris vel bonis actibus assequimur, vel vitiosis deperdimus; præcipuè Regulam omnis moralitatis. Unde primo loco de humanis actibus, eorum fine, & generalibus principiis disputamus, & recepto more præsentem Tractatum de actibus humanis inscribimus. De quibus etsi multa tractent Philosophi morales, hærent tamen arctati intra luminis naturalis angustias; Theologus verò Divinæ revelationis lumine instructus considerat creaturam rationalem, quatenus elevatam per gratiæ sanctificantis donum, ad ultimum finem supernaturalem, ideoque de humanis actibus, eorumque principiis ut ad ultimum finem supernaturalem relatis tractationem instituit, quamvis etiam Philosophiæ moralis principia tanquam ancillantia suis disputationibus intereat.

TRACTATUS IV.

DE

ACTIBUS HUMANIS.

DISPUTATIO I.

DE

Fine humanarum operationum.

Upponimus ex Philosophia nostra, finem cuius gratiâ [juxta definitionem Philosoph. 2. phys. to. 29.] aliquid fit, in actu secundo causare per objectivam alligantiam & attractionem ad sui prosecutionem, quam S. D. q. 22. de verit. 4.2. in c. rectè vocat ipsum appeti, sic dicens: *Sicut influere causa efficiens agere est, ita influere*

A

influere

insuere causa finalis est appeti. Hinc fit, quòd cùm hominis voluntati proprium sit, fortius maliter trahi, & allici à fine, ceu primo in operabilibus quoad ordinem intentionis, eodem quoque conveniat agere propter finem: prout concludit S. D. hic q. I. a. 1. est, que ex S. Scriptura certum Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem,* aliisque quàm plurimis locis. Nunc finis varias divisiones, & circa ipsam quæstiones discutiamus.

ARTICULUS I.

Quid sit agere propter finem?

SUMMARIUM.

1. Finis cui, & cuius gratiâ.]
2. Finis qui, & quo.
3. Finis operis & operantis.
4. Finis ultimus, & intermedius.
5. Finis principalis & secundarius.
6. Alii actus hominis, alii humani, quoad substantiam, alii quoad modum.
7. Operatio voluntatis, alia elicta, alia imperata.
8. Deliberatio alia strictè, alia late accepta, alia formalis, alia virtualis.

§. I.

Varia divisiones finis.

1. **F**inis multifariam dividitur. Et primò cui & cuius gratiâ. Finis cuius gratiâ est res illa, cuius adipiscendâ gratiâ voluntas operatur, ut sanitas, ratione cuius sumuntur amaræ potiones. Finis cui, est illud subiectum, in cuius commodum assumitur finis cuius, ut homo, cui per amaras potiones sanitas queritur. Ex utroque integratur, & adequatur totus finis. Ideòque præfens divisio est quasi totius in partes, ubi finis cuius formalis, finis verò cui, qui ab illo perficitur, estque susceptivum ipsius, subit rationem partis materialis.
2. Secundò dividitur finis in finem qui, & quo, sive in obiectivum & formalem. In finem ut res, & in finem, ut adeptio rei. Finis qui igitur est id, quod amamus, & coincidit cum fine cuius, Finis quo, est eiusdem adeptio & consecutio.
3. Tertiò dividitur finis in finem operis & operantis. Ille est bonum, ad quod res vel actio ex se ordinatur, ut finis studiorum est scientia. Finis operantis est bonum, in quod operans ordinatur ea, quæ facit, ut gloria DEI, si ad illam studia tua ordines.
4. Quartò dividitur finis operantis in ultimum & intermediam. Intermediam est, qui quidem ratione sui appetitur, cum dependentia tamen, & subordinatione ad finem ulteriorem: veluti si navigatio propter delectationem, quæ exinde percipitur, assumpta, ulterius ordinetur ad locum aliquem, ad quem navigans pervenire intendit. Ultimus est, qui non ad ulteriorem, sed ad ipsum omnia referuntur; & subdividitur in ultimum simpliciter, ad quem omnia in omni genere referuntur, & in ultimum secundum quid, ad quem omnia in uno rerum ordine referuntur, non autem in alio.
5. Quintò dividitur finis in principalem & secundariam. Principalis est, qui per se primò intenditur; Secundarius verò, qui non nisi consecutivè, & alio præsupposito fine, ut à officium Ca-

nonicum recites principaliter propter cultum Divinum, & secundario propter fructus beneficii percipiendos.

§. II.

Definitio & divisio actus humani.

Sciendum primò. Ex actibus, qui procedunt ab homine alios dici actus hominis, alios vero actus humanos. Actus hominis sunt, qui quomodocumque procedunt ab homine, quales illæ quoque actiones sunt, quæ homini conveniunt secundum gradum genericum, sicutque ipsi communes cum brutis: ut crescere, progredi &c. Actus humani propriè sunt, qui conveniunt homini, in quantum est homo, hoc est, in quantum suæ rationalis naturæ gradu specifico excellit supra creaturas irracionales. Ex istis actibus humanis alii dicuntur humani quoad substantiam, alii quoad modum. Actus humanus quoad substantiam est omnis ille, qui ab ipso procedit, quatenus operante secundum gradum specificum & differentialem; ut sunt ridere, flere, motus voluntatis primò primi, & indeliberati &c. Actus humanus quoad modum est illa operatio, in qua reperitur modus operandi naturæ rationali proprius. Quod fieri potest dupliciter, primò quòd mens rationalis operetur cum perfecta cognitione finis. Secundò quòd operetur cum indifferentiâ & libertate. Primò modò, sic amor & fructio beatifica, qui ex visione beatifica tanquam perfectissima cognitione ultimi finis procedunt, appellari possunt nomine actus humani. Secundò modò, qui est proprius huius loci, & ad beatum viatorum potissimum pertinet, sic definitur actus humanus à S. D. hic a. 1. in c. actio, cuius homo est dominus, sive, quæ ex deliberata voluntate procedit. Sub qua consideratione deinceps de actibus humanis agetur.

Sciendum secundò. Operationem posse duplici modo à voluntate procedere. Electivè videlicet & imperativè. Actio electivè est, quæ immediatè ex voluntate procedit, ut intentio, electio &c. Actiones imperative sunt actus stellarum potentiarum, quatenus voluntatis motioni actu subiiciuntur, ut sunt ambulare, ridere, comedere &c. qui actus licet propriè non sint humani, quatenus à suis potentis proximè procedunt, & rationem præveniunt: sunt tamen, quatenus ex imperio rationis mediatè procedunt.

Sciendum tertio. Deliberationem rationis dividit primò in latè & strictè sumptam. Strictè sumpta significat præviam consultationem & inquisitionem de mediis idoneis ad consequen-

dum finem. Latè sumpta significat iudicium intellectus proponens obiectum cum indifferentia, & sufficienti lumine ad discernendum inter bonum, & malum. Secundò dividitur in deliberationem formalem, quà ratio actu deliberat, & in virtuaalem seu interpretativam, quà quis habens obligationem & potentiam ad deliberandum, omisâ formali deliberatione, iudicat hic & nunc aliquid esse agendum, vel omittendum.

Quocunque modo ex prædictis deliberatio accipitur, sufficit ad denominationem actus humani: ita ut in definitione actus humani *ly voluntas deliberata* nil aliud significet, quàm voluntatem regulatam per deliberationem sive strictam, sive latam, sive formalem, sive virtuaalem: unde etiam peccatum ex ignorantia vincibili est actus humanus, quia procedit ex voluntate saltem virtualiter deliberata.

ARTICULUS II.

Per quos actus homo operetur propter finem?

SUMMARIUM.

1. Omnes actus humani sunt propter ultimum finem.
2. Alia amari propter finem est ipsius inadaquata tantum causalitas.
3. Amor finis alius formalis, alius causalis.
4. Quomodo actus fugæ & imperati sint propter finem?
5. Etiam fructio finis est propter ipsum.
6. Etiam necessarij actus voluntatis comprehensivum sunt formaliter propter finem.
7. Creaturae irrationales formaliter non agunt propter finem.
8. Obiectio Genetici solvitur.
9. Qualis determinatio voluntatis requiratur ad finis causalitatem.
10. DEUS ex parte sui actus habet rationem finalem, non causalem.
11. Nihil creatum est finis ex parte Divinae voluntatis.
12. Datur finalis ratio amoris essentialis, non notionalis in DEO.
13. Quomodo creaturae sint media?
14. Ordo intentionis & electionis in Divinis tantum probat media & fines ex parte volitorum.

§. I.

Statuuntur actus humani propter finem.

1. **Q**uestio non de fine operis sed operantis intricata sit **CONCLUSIO** *Homo per omnes actus humanos proprie formaliter agit propter finem.* S. D. hica. i. in c. Ratio est: quia in omni actu humano reperitur propria causalitas finis, quæ est, ut ipse gratiâ sui, & alia appetantur propter ipsum. Aut enim actus humanus est immediate circa finem, ut amor & intentio finis; & tunc haud dubiè bonitas finis per tales actus propter se, sive gratiâ sui appetitur: aut est immediate circa media, & tunc ipsa media, quippe quorum bonitas essentialiter dependet à bonitate finis, amantur & eliguntur propter finem, ad quem consequendum ducunt.
2. Hinc colliges primò: Adæquatam causalitatem finis non in hoc consistere, ut alia amentur propter ipsum, siquidem fini per prius convenit amari & appeti propter se, quàm alia propter ipsum. Unde cum S. D. 3. contr. gentes. c. 75. dixit: *Causalitatem finis in hoc consistere, quod propter ipsum alia desiderantur, de inadaquata tantum causalitate locutus fuit.*

R. P. Metzger, Theol. Schol. Tom. II.

Colliges secundò. Omnia, quæ sunt propter finem, fieri ex amore finis, vel formali, vel causalis, non autem semper formali. Ex amore formali est fieri ex actu ipso amoris extrinsecè præsupposito; ex amore causalis est fieri ex bonitate finis objective alliciente. Sic intentio finis est ex amore causalis, electio mediorum etiam quandoque ex formali. Parùm differunt, qui dicunt, intentionem finis procedere ex amore finis non transitive, quasi aliquid derivatum ex amore formali, sed intransitive, h. e. quòd procedat ut ipse amor, quo modo calor ignem producere dicitur in virtute ignis, *ly in virtute fumendo intransitive*, ita ut calor sit ipsa virtus ignis, non autem transitive, quasi ageret ex virtute superaddita.

Colliges tertio: Etiam actus fugæ, quibus videlicet voluntas averfatur malum, & actus imperatos, qui à distinctis potentiis eliciuntur, esse propter finem. Actus fugæ quidem, quia voluntas nunquam averfatur malum, nisi in virtute boni ex opposito moventis & allicientis. Actus verò imperatos, quia licet materialiter spectati, quatenus elicitivè procedunt ex potentiis à voluntate distinctis, non habeant pro obiecto finem & bonum; spectati tamen formaliter, & quatenus à voluntate imperati, sic ab ipsa in finem referuntur.

Colliges quartò. Fruitionem ac delectationem de fine adepto esse actus propter finem elictos; cum in istis quoque actibus reperitur propria motio, & intentionalis causalitas finis. Nam licet bonitas finis non moveat ad sui fruitionem, nisi ut posita in executione, atque aded fructio tantummodò sequatur finem, jam in executione habitum, ipsa tamen executio non est ratio movendi, (cum finis officium sit movere obiectivè, non activè, & executivè) sed tantum conditio necessariò requisita, ut finis obiectivè, & ut existens in intentione moveat, quatenus apprehenditur, & repræsentatur sub ratione boni præsentis & possessi, prout insinuat Angelicus D. q. 31. à 1. ad 2. dicens: *Licet in eo, qui jam consecutus est bonum, in quo delectatur, cesserit motus executionis, quo tendit in finem, non tamen cessat motus appetitivæ partis, quæ sicut prius desiderabat non habitum, ita postea delectatur in habitu. Licet enim delectatio sit quies quadam appetitus consideratâ presentia boni delectantis, quod appetitui satisfaciunt, tamen adhuc remanet immutatio appetitus ab appetibili.* Inde fit, quòd quantò vehementior

A 2

hementior præcessit apprehensio, ac desiderium boni, tantò solear esse intensior delectatio & fructio de bono obtento.

6. Colliges quintò. Omnes (1) actus liberos esse formaliter propter finem; (2) ex actibus verò necessarijs, illos solum actus voluntatis, qui à comprehensore eliciuntur, ut amor beatificus & fructio. Ratio primi est, quòd omnes illi actus ex deliberata voluntate & perfecta cognitione finis procedunt, Ratio secundi est: Ille actus est formaliter propter finem, qui procedit ex perfecta cognitione finis, representante proportionem ipsius ad media, & ad ipsum appetentem. Sed ex actibus à voluntate necessariò elicitis soli actus comprehensoris, nimirum Amor & fructio procedunt ex perfecta, imò perfectissima cognitione finis, ipsa scilicet visione beatifica Divinae essentiae, tanquam Summi Boni adæquatè satisfaciens voluntatem: econtrà actus necessarij viatoris; videlicet motus primò primi procedunt solum ex imperfecta cognitione finis, & ut loquitur S. D. tantum *habens finem quasi imaginatum*: ergò soli actus voluntatis à comprehensore necessariò elicti formaliter sunt propter finem.
7. Colliges sextò. Nullam creaturam irrationalem propriè formaliter agere propter finem. Ut hic a. 2. S. D. Cujus ratio est, quòd nec se ipsas propriè in finem moveant, nec bonitatem finis formaliter h. e. secundum rationem convenientiæ, & proportionem cum medijs, sed solum materialiter, hoc est, rem, quæ sibi bona est, apprehendant, de quo plura Philosophi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

8. Objicies primò cum Gonet contra Collig. 4. ex S. D. q. seq. a. 6. ad 1. Primò. Quòd non distinguitur ab ipso fine, non est propter finem: sed juxta D. Thom. delectatio in bono, seu quietatio in ipso, non distinguitur à fine: ergò non est propter finem. Minor colligitur ex loco citato. *Delectatio, inquit, propter se, & non propter aliud appetitur, si ly propter dicat causam finalem.* Secundò. Quòd per modum complementi connaturaliter sequitur ipsum finem, non ponit in numero cum fine, sed fructio & delectatio connaturaliter sequuntur possessionem finis. Tertiò. Finis, prout exercet munus causæ finalis est prima causarum, sed finis ut executus est ultimum: ergò ut sic non exercet munus causæ finalis in intentione: Atqui respectu fructiois & delectationis finis est executus: ergò respectu illorum actuum non exercet munus causæ finalis: nec proinde isti actus sunt propter finem.

Respondeo ad 1. cum Philippo à S. Trin. delectationem illo loco à S. D. non accipi formaliter, tanquam pro actu elicto circa finem, de quo loquimur in presenti, sed objective, prout habet rationem objecti appetibilis respectu alterius actus, quo appetitur, sub qua ratione & acceptatione non ponit in numero cum ipso fine. Sicque patet responsio ad 2. nimirum complementum connaturaliter consequens finem, non ponit in numero cum fine, objective spectatum, concedo, formaliter sumptum, nego. Ad 3. Respondeo,

Finis ut executus, est ultimum respectu quorumcumque actuum, nego, respectu mediorum, eorumque actuum, qui ad executionem dirigitur, concedo, & similiter distincto consequente, nego primam & reliquas consequentias. *Inqui.* Posita executione cessat intentio finis; ergò tunc finis non amplius movet, & causat in intentione. Respondeo. Cessat finis intentio, prout intentio nominat efficacem prosecutionem finis determinantem ad electionem mediorum, concedo, prout intentio dicit esse apprehensum & intentionale, quòd finis habet in intellectu, nego antecedens & consequentiam.

Objicies secundò, contra Colliges §. causalitas finis consistit in hoc, quòd moveat & determinet voluntatem ad sui amorem, sed DEUS clarè visus non movet aut determinat voluntatem ad sui amorem, quippe jam ex se, & ex sua natura ab intrinseco determinatam ac necessitatem ad amandum DEUM, ut infra dicitur. Sed Respondeo, distinguendo minorem. Non movet voluntatem liberè, quòd unicum impugnat Adversarius, concedo, non movet, & determinat necessariò, nego. Item voluntas Beati est ab intrinseco determinata ad amandum DEUM, dependenter à visione Divinae essentiae sub ratione Summi Boni, concedo, independenter ab illa, nego. Gratis igitur assumit & supponit predictus Author, tunc solum adesse motionem & causalitatem finis, quando voluntas ipsa semovet liberè & applicativè; ideòque negare cogitur, quòd respectu amoris beatifici DEUS propriè habeat rationem finis. Quæ sanè difficultas sustineri possunt primo: quia hac ratione accensus charitatis, quem Angelus aut Adamus in primo instanti elicit, fuisset formaliter propter finem, siquidem fuit à DEO specialiter movens & applicans, & à voluntate solum ut elicente. Secundò. Motio objectiva finis consistit juxta S. D. in appeti gratià sui, sed sive appetatur liberè, sive necessariò, appetitur gratià sui: ergò necessitas appetitionis non obstat causalitati & motioni finis; modò sub ratione finis sit perfectè cognitus. Tertiò. Beatus non minus habet iudicium practicum de DEO super omnia diligendo, nec minus allicitivè trahitur à bonitate Divina per claram visionem cognita, quam aliquis Viator habet tale iudicium, & trahitur à Divina Bonitate per fidem cognita: Imò hæc omnia habet cum majori perfectione, quam Viator: ergò à iste DEUS liberè amando operatur propter finem, etiam ille necessariò amando DEUM operatur propter finem. Quartiò. Respectu illius actus DEUS obtinet formaliter rationem finis, per quem formalissimè attingitur sub ratione finis, sed per amorem beatificum, quo Beatus se & omnia refert in DEUM, formalissimè attingitur DEUS sub ratione finis, & quidem ultimè: ergò. Major est S. D. qui ex eo capite probat, quòd actus voluntarij sint propter finem, quia finis est objectum voluntatis. Minor per se patet.

§. III.

Quomodo DEUS dicatur agere propter finem?
Respondeo. Operationem liberam DEI virtutualiter transeuntem, ad extra considerari posse

posse vel ex parte actus, & secundum quod operatio dicit in recto, vel ex parte termini extra se referri, & secundum quod operatio dicit in obliquo. Si primò modò consideretur, tunc sicuti illa operatio est identificata cum DEO & ipse DEUS, sic neque habet causam efficientem, neque finalem, utpote ens à se; habet tamen virtuale motivum, seu rationem finalem, quæ est ipsa increata bonitas DEI, prout dicitur in Tract. de DEO. Ita S. D. I. contr. gentes c. 27. *quomodo autem aliqua ratio Divinae voluntatis assignari possit, non tamen sequitur, quòd voluntas ejus sit aliqua causa.* Si verò operatio DEI accipiatur ex parte termini, tunc sicuti ille terminus est ens creatum, ita habet vere causam finalem in DEO, nempe ipsum DEUM: omnia enim propter Semetipsum operatur est Dominus, Proverb. 16. Dicitur tamen DEUS aliquando etiam habere aliquem finem creatum, veluti cum dicimus Verbum Divinum propter nos & propter nostram salutem descendisse de caelis. Non ex parte actus & suæ voluntatis, sed ex parte Rei Volitæ, in quantum unam rem creatam subordinat alteri; sic enim merita & perseverantiam electorum ordinat ad eorundem gloriam, tanquam media ad finem, prout dicitur loco citato.

ii. Colliges primò. Deum non habere aliquem finem creatum ex parte suæ voluntatis; siquidem increata voluntati debetur increatum specificativum: sed tantum ex parte rei volitæ, in quantum unam creaturam ordinat in usum alterius; quæ de causa S. D. negat hanc propositionem esse veram: *DEUS vult hoc propter hoc*: istam verò probat: *DEUS vult hoc fieri propter hoc*: quia in priori propositione creatura ponitur pro fine ex parte ipsius voluntatis Divinæ, in altera verò pro fine ex parte rei volitæ. Vide, quæ diximus in Tract. de Deo uno, c. 2. §. 2. n. 4. & 6. 11. §. 2. n. 6.

iii. Colliges secundò. Dari rationem formalem amoris essentialis DEI; non autem notionalis, quatenus virtualiter inadquate distinguitur ab essentiali, i. partem, quæ est contra Gonet hic a. 4. Ratio est, quia ut operatio sit propter finem, seu rationem finalem, sufficit, quòd sit ex perfecta cognitione bonitatis suo modo objectivè alligatis. Sed amor essentialis DEI est ex infinita bonitate infinito modo secundum prioritatem virtutem præcognita, ipsaque bonitas multò magis & perfectius DEO est ratio amandi seipsum, quam creaturas; ergò amor essentialis in DEO habet rationem finalem. Secunda pars probatur. Amor notionalis ut inadquate virtualiter distinctus ab essentiali, ratione suæ infinitæ fecunditatis, ita est productivus Spiritus S. ut si per im-

possibile amor essentialis pro ratione finali non haberet Divinam bonitatem, adhuc tamen esset productivus ipsius: ergò ut sic & quatenus notionalis non habet rationem finalem.

Dices. Si vellet DEUS creaturas propter seipsum, tanquam finem, tunc ista haberent rationem medij; sed hanc non habet, quia medium habet bonitatem utilitatis ad consequendum finem: atqui nulla creatura est DEO utilis ad consequendam suam bonitatem: ergò.

Respondeo. In medio duplicem habitudinem reperiri, utilitatis seu conducibilitatis ad finem, & ordinabilitatis, ac referibilitatis ad finem. Prima habitudo reperitur in mediis respectu create voluntatis, quæ quia amat amore affectum, & trahitur ab objecti bonitate, idcirco supponit in objecto appetibilitatem, vel respicientiam utilitatis, si est medium, vel absolutam delectabilitatis, aut honestatis, si objectum est finis. Atqui in creaturis respectu Divinæ voluntatis tantum reperitur habitudo ordinabilitatis, secundum quam solam media dici possunt: nam omne bonum participatum est referibile ad bonum imparticipatum, à quo emanat: Sed creaturæ amantur à DEO tanquam bona participata, amat quippe illas amore effectivo, non affectivo, communicandò ipsis bonitatem: ergò etiam amantur ut referibilia in infinitam suam bonitatem. Et sic in forma Respondeo ad argumentum, distinguendo sequelam majoris. Habent rationem medij minus strictè, prout dicit suæ bonitatis referibilitatem in superius bonum, concedo, prout dicit rationem utilitatis, nego. Et ad probationem. Medium in ordine ad voluntatem creatam, & amorem affectivum dicit bonitatem utilitatis, concedo, medium, quod est tale in ordine ad voluntatem increatam, & amorem effectivum, nego. Ratio constat ex dictis.

Instat Gibbon. Nihil solennius esse apud Theologos, quàm assignare in DEO ordinem intentionis, & electionis: sed electio debet esse circa medium. Item, omnes admittunt voluntatem prædestinativam: sed hæc definitur à D. August. de don. persever. c. 14. *præscientia & præparatio beneficiorum DEI* &c. h. e. juxta Ang. Doct. I. p. q. 23. a. 1. *ordinatio mediorum, quibus creatura rationalis transmittitur in finem vite æternæ.* Et quis neget, DEUM velle nostra opera meritoria propter nostram beatitudinem? Respondeo. Plus ex his omnibus non probari, quàm quòd DEUS creaturas velit tanquam media ex parte voliti, non autem ex parte suæ voluntatis, & per comparisonem ad suam increatam bonitatem, quòd ultrò concedimus.

ARTICULUS III.

An & quomodo media ad finem habeant propriam bonitatem?

Tria veniunt in questionem. Primò. An dentur fines intermedij, qui ita exercent causam finalem, ut tamen ad finem ulteriorem referantur, vel utrum omnis finis sit ultimus, vel simpliciter, & in omni genere, vel secundum quid, h. e. in certa aliqua serie altius actionis, vel artis. Posteriorem Vazquez, priorem partem

Schola Thomistica cum communi Scholasticorum amplectitur. Secundò an media etiam quæ talia habeant intrinsicam bonitatem, seu appetibilitatem, vel utrum tantummodò per denominationem extrinsecam à bonitate finis sint & dicantur bona: Priorem doctrinam Thomistæ posteriores, posteriorem Conradus & Medina sequuntur.

tur. Tertiò. An media pertineant ad objectum formale, vel materiale voluntatis? ubi primam partem docent Gabriel in 1. dist. 38. q. 1. a. 1.

S U M M A R I A.

1. Dantur fines intermedij.
2. Probatur à paritate causarum efficientium.
3. Et inductione virtutum moralium.
4. Quarum objecta movent in virtute finis ultimi.
5. Sitne idem appeti ut finem, & ut ultimum finem.
6. An finis sit, cuius gratiâ cetera sunt.
7. Moralium virtutum objecta non sunt fines negativè ultimi.
8. Media habent intrinsecam bonitatem.
9. Et proportionem utilitatis.
10. 11. Objectiuncula solvuntur.
12. Media tamen non pertinent ad objectum formale, sed materiale voluntatis.
13. Sunt tamen objectum voluntatis materiale per se, & non per accidens.
14. An exclusis mediis finis debeat esse objectum formale omnium actuum voluntatis?
15. Et actus virtutum moralium formaliter distinguantur?
16. Objicitur paritas inter conclusiones & media.
17. Et comparatio finis ad media, sicut lucis ad colorem.
18. Finis omnes actus voluntatis specificat, vel ut quod, vel ut quo.
19. Bonitas mediorum specificat virtutes morales, non ipsam voluntatem.
20. Disparitas inter veritatem conclusionum, & appetibilitatem mediorum.
21. Color non videtur propter lucem, sicut media propter finem.
22. In bonitate finis & mediorum reperitur analogia proportionalitatis.

§. I.

Finis intermedij causalitas finalis.

1. **CONCLUSIO** Prima: Dantur fines intermedij, qui verè exercent causalitatem finis. Est expressa Philosophi 1. Eth. c. 7. admittentis finem, qui per se semper, & nunquam propter aliud expetitur, ut est felicitas; & alius, qui propter se, & rursus felicitatis gratiâ expetitur, adeòque est finis intermedius. Nec minùs Angelicus D. 1. 2. q. 12. a. 2. docet, quòd intentio non solum sit finis ultimi, sed etiam finis medij.
2. Ratio ex eodem S. Doct. desumpta est primò à paritate causæ efficientis: sic enim proportionaliter sibi fines subordinantur in finalizando, & objectivè movendo, sicut causæ efficientes in agendo & effectivè movendo: Atqui datur ejusmodi subordinatio in agentibus, ut unius causæ operatio non excludat aliam, quin illa quoque exerceat munus causæ propriè efficientis etiam principalis, uti patet in subordinatione causæ primæ & secundæ: quid ergo obstat, quin etiam in finibus detur ejusmodi subordinatio, in qua finis ultimus admittat finem intermedium propriè moventem in genere causæ finalis cum dependentia tamen à fine ulteriori.
3. Ratio est secundò. Quod appetitur gratiâ sui, & alia propter ipsum, ita tamen, ut appetatur

Curiel, & Amicus disp. 1. sect. 3. Posteriorem tuerentur Joa. à S. Th. Ildephonus Casaraug. Marcus Serra a. 1. dub. 2. alijsque Thomistæ.

cum subordinatione ad ulteriorem finem, non est finis ultimus, sed intermedius; Atqui dantur multa objecta, qua appetuntur gratiâ sui, alia quoque propter ipsa, ut tamen in ipsis voluntas ultimato non sistat: ergò dantur fines intermedij. Major liquet, quia finis formaliter est, qui propter se, & alia propter ipsum appetuntur. Minor apparet in virtutibus moralibus, quarum objecta, & fines proximi habent honestatem per se appetibilem, ad cuius consecutionem etiam media idonea eliguntur: nec tamen sunt finis ultimi, cum contineant honestatem tantummodo creatam, cui ab intrinseco repugnat, ut finis ultimus.

Confirmatur. Sicut omne agens hoc ipso, quod non moveat ut causa prima, movet in virtute causæ primæ; ita omnis finis hoc ipso, quod non sit ultimus, movet in virtute finis ultimi: sed objecta proxima, & motiva virtutum non sunt ipse finis ultimus: ergò movent in virtute finis ultimi. Si hoc: ergò sunt fines intermedij.

Dices. Idem est appeti ut finem, & ut ultimum finem, non quidem ultimum positivè, hoc est, ad quem omnia referantur, ultimum tamen negativè, h. e. qui non referatur ulterius: ergò in terminis repugnat dari finem intermedium. Antecedens probatur. Bonum, quod referatur ulterius, diligitur & appetitur propter aliud, sed quod propter aliud diligitur, non diligitur ut finis, sed ut medium ad finem: In hoc quippe finis à medijs discrepat, quòd ille sui gratiâ, ita verò propter finem diligantur. Ideòque licet objecta virtutum moralium non sint finis ultimi positivè, sunt tamen ultimi negativè.

Confirmatur. Illud bonum non potest appeti propter aliud, cuius gratiâ cetera sunt: sed secundum Philosophum 2. phys. c. 3. textu 49. finis est, cuius gratiâ cetera sunt: ergò finis non potest appeti propter aliud, & per consequens non datur finis intermedius.

Respondeo, negando antecedens: ad probationem distinguendo minorem. Quod propter aliud diligitur, non diligitur ut finis & c. sub ratione reduplicata conducibilitatis ad finem, concedo, sub ratione propriæ intrinsecæ honestatis, vel delectabilitatis, nego minorem: ergò finis intermedius, qui referatur ulterius, non diligitur ut finis sub reduplicata ratione illius relationis, & conducibilitatis, concedo, sub ratione propriæ intrinsecæ honestatis, vel delectabilitatis, nego consequentiam.

Res exemplo patebit. Egrotas? appetis sanitatem. En! finem per se utique appetibilem, nec tamen ultimato; nam si sapias, etiam sanitatem & vitam referes in obsequium creatoris. Nilominùs ipsa sanitas efficaciter intenta te moveret ad quærendas acidulas: adeòque exercet rationem finis (& quod exemplum magis tritum apud Philosophos, quàm sanitas?) Ipsa intrin-

seca acidularum præstantia & virtus sanativa forte cum aliqua delectabilitate conjuncta te impellit, ut hunc locum præ altero eligas: ejus causâ iter suscipis, commoditas & delectabilitas equitatis tibi calcar addit, ut equum compares, cujus ornandi studio, propter gratiam & formam, quâ te oblectat, cultiorem sellam, frænūque infernis &c. ubi cernis media medijs, fines finibus subordinatos, nam sanitas oblequio creaturis, sanitati acidula, acidulis equitatio, huic equus, equo ornatus, nummi &c. serviunt, ita, ut in quolibet medio reperiatur tamen propria aliqua delectabilitas & bonitas, quæ propter se moveat ad ulteriora media inquirenda, donec ad ultimum perveniatur.

Ad confirmationem Respondeo. Finis est, cujus gratiâ cætera fiunt, cætera absolute & in omni genere, nego, id enim fini positivè ultimo solummodo competit, cætera in aliqua rerum serie, concedo. Audi Doctorem Angelicum l. 2. phys. l. 1. sic loquentem: *Ne aliquis credat, quod solum, quod est ultimum, sit causa, sicut cujus gratiâ, propter hoc, quod nomen finis ultimum quodammodo videtur esse. Est igitur omnis finis ultimum non simpliciter, sed respectu alicujus.*

Neque potest satisfacere responso Vasquezij, quod objecta virtutum moralium sunt fines negativè ultimi; siquidem istæ virtutes sunt electivæ, habentque pro actu primario electionem, quæ versatur circa media ad finem: adeoque motiva, circa quæ versantur, semper positivè ordinant ad altiore & ultimum finem. Imò in omni actu humano reperitur motionem finis positivè ultimi in seq. disputatione probabimus ex doctrina D. Th. q. 22. de Verit. a. 1. dicentis: *sicut DEUS propter hoc, quod est primum efficiens, agit in omni agente; ita propter hoc, quod est ultimus finis, appetitur in omni fine.*

§. II.

An media habeant propriam bonitatem?

CONCLUSIO secunda. Media habent sibi propriam intrinsecam bonitatem. Ratio est primò. Voluntas est tantum boni, sed voluntas electivam mediõrum, sive eõrum, quæ sunt ad finem: ergò etiam media habent sibi propriam intrinsecam bonitatem. Major est D. Th. hic q. 8. a. 1. minorem habet a. 2. in e. dicens: *Ratio boni non solum invenitur in fine, sed etiam in his, quæ sunt ad finem.* Et patet ex actu electionis, qui tantum est circa media.

Ratio est secundò. Quia intrinseca proportio, quam media habent ad finem, & ratione cujus eliguntur, est ipsi intrinseca: sed illa proportio est utilitas, & respectiva bonitas propria mediõrum: ergò media habent propriam sibi intrinsecam bonitatem. Minor probatur. Convenientia cum voluntate, qua movetur appetitus, est bonitas, sed media per illam proportionem cum fine habent convenientiam cum voluntate, ideòque quanto major est proportio, tantò avidius media appetuntur: ergò illa proportio est vera intrinseca bonitas.

Oppones primò. Bonum & finis juxta Arist. & D. Thomam inter se convertuntur: ergò ratio boni intrinsece non invenitur in medijs. Secun-

dò. *Utilia non habent in se, unde desiderantur*, inquit S. D. 1. p. q. 5. a. 6. ad 2. Media sunt utilia: ergò. Tertiò. Movere & allicere appetitum est propria causalitas finis: sed bonitas actualis in hoc consistit: ergò bonitas actualis est solum finis propria.

Respondeo ad primum. Illam autoritatem procedere de bono simpliciter, & absolute, quod cum fine convertitur, item de bonitate primaria & absolute, non secundaria & respectiva, quarum illa fini, hæc medijs est propria. Ad 2. similiter Respondeo, Angelicum Doctorem non negare, quòd media aliquo modo desiderantur, sed quòd non desiderantur gratiâ sui. Idcirco addit: *sed desiderantur solum ut sunt ducentia ad alia.* Ad 3. Respondeo, Movere & allicere gratiâ sui, & propter se, ita, ut in illo sistat, & quiescat appetitus, est causalitas finis, concedo, secus, nego.

CONCLUSIO Tertia. *Objectum formaliter & adequate specificativum voluntatis est sola bonitas finis: media verò sunt objectum materiale per se.* Ita colligitur ex S. D. in 1. d. 45. a. 2. ubi dicit: *Ea, quæ sunt ad finem, habent se materialiter ad objectum voluntatis.* & q. 23. de ver. a. 1. ad 3. *Principaliter voluntas est finis, qui est ratio volendi omnia alia; secundario autem est eorundem, quæ sunt ad finem.*

Ratio est: quia objectum formale specificativum est, quod ratione sui, & per se primò attingitur, alia verò ratione ipsius: sed sola bonitas finis ratione sui, & per se primò attingitur; media verò ratione finis: ergò objectum specificativum adæquatum voluntatis est bonitas finis: media verò sunt objectum secundarium & materiale.

Dixi tamen in conclusione, esse objectum materiale per se, non per accidens: quia nempe licet media non attingantur primariò, & ratione sui, verè tamen attinguntur in se ipsis, & secundum suam propriam intrinsecam bonitatem: objectum verò materiale per accidens est, quod ne quidem in se ipso, & secundum aliquid sibi proprium attingitur: quemadmodum substantia se habet respectu visus, à quo non in se ipsa, & secundum aliquid sibi intrinsecum, sed præcisè in alio, nempe colore attingitur.

Confirmatur. Si media pertinerent ad objectum formale voluntatis, non esset adæquata ratio S. D. quòd ideò omnes actus humani sint propter finem, quia finis est objectum voluntatis, daretur enim aliud objectum formale voluntatis, quod non est finis, adeòque actus ad illud terminati non deberent esse propter finem.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies. Si finis esset adæquatum specificativum voluntatis, tunc esset etiam objectum formale omnium actuum voluntatis: sed hoc non est, quia electio, consensus & usus sunt actus voluntatis ex objecto formaliter distincti ab actu intentionis: sed objectum formale consensus, electionis, usus, sunt media, sicut objectum intentionis est finis: ergò finis non est objectum formale omnium actuum voluntatis.

Confirmatur 1. Virtutes morales unà cum suis

suis actibus formaliter à se invicem distinguuntur penes diversa objecta formalia: sed hæc objecta sunt diversa media: siquidem istæ virtutes sunt electivæ, & versantur circa media ad finem.

16. Confirmatur 2. Ita se habet finis & media ad voluntatem, sicut principia & conclusiones ad intellectum: ergo sicut ad objectum formale intellectus non tantum pertinet veritas principiorum sed etiam conclusionum; sic etiam ad objectum formale voluntatis pertinet non tantum bonitas finis, sed etiam bonitas mediorum.
17. Confirmatur 3. à S. D. q. 8. a. 2. dicente: ita se habere finem ad media, sicut lux ad colorem: ergo sicut lux non impedit, quin color pertineat ad objectum formale visionis, ita bonitas finis non impedit, quin media pertineant ad objectum formale voluntatis.
18. Respondeo, distinguendo sequelam majoris. Finis esset objectum specificativum omnium actuum voluntatis, vel ut quod, vel ut quò, concedo, utroque modo, nego. Sed non est objectum specificativum electionis, consensus &c. ut quod, concedo, ut quo, nego minorem, & consequentiam. Ratio & sensus est, quòd equidem diversa media possint formaliter diversificare diversos actus voluntatis, quia tamen ipsorum bonitas est respectiva essentialiter subordinata bonitati finis, à qua voluntas per se primò movetur ad intentionem, & primò hanc mediante ad electionem mediorum, ita ut bonitas finis sit imbibita in ipsa bonitate mediorum, ideò finis est objectum formale quod, seu ratio formalis, sub qua media appetuntur: quemadmodum contingit in habitu alienius scientiæ, ubi licet variæ conclusiones ex diversitate particularium objectorum formaliter terminantium & specificantium specie (ut aiunt) materiali distinguantur; illa tamen diversitas in ordine ad habitum scientiæ se habet materialiter, eò quòd omnia illa objecta particularia referantur ad unum primarium

totale, & sub unius principij & abstractionis lumine convenient.

Unde ad primam Confirmationem Respondeo, Virtutes morales unà cum suis actibus distinguuntur penes diversa objecta formalia, subordinabilia ad finem voluntatis, concedo, non subordinabilia, nego: ergò bonitas mediorum pertinet ad objectum formale ipsarum virtutum & habituum moralium, concedo, voluntatis, nego consequentiam.

Ad 2. confirmationem, quamvis Joa. à S. Thoma neget primum membrum consequentis (& tunc paritas est ipsis Adversarijs solvenda) expeditius tamen Respondeo cum Salmanticensibus negando adæquationem paritatis, eò quòd veritas tam conclusionum, quam principiorum sit de primaria intentione intelluctus; è contra appetibilitas mediorum non sit de primaria intentione voluntatis, cum non nisi propter aliud possint esse appetibilia.

Ad 3. confirmationem, esse aliquam, non autem omnimodam paritatem inter finem respectu mediorum, & lucem respectu colorum. Paritas est, quòd sicut color videtur dependere à luce, & habet intrinsecam visibilitatem; ita media appetuntur secundum intrinsecam suam bonitatem dependenter à bonitate finis. Disparitas est, quòd color non videatur propter lucem, & quasi sit via conducens ad videndam lucem, sed propter semetipsum visum terminat, e contra media amantur propter finem, tanquam via ad ipsum, unde obtento fine non amplius appetuntur.

Colliges ex dictis. Bonitatem finis, è medijs competere analogicè secundum analogiam proportionalitatis; quia hæc dicuntur analogæ proportionalitatis, in quibus omnibus ratio analogæ intrinsecè reperitur, ita tamen, ut uni principali analogato conveniat primariò, alijs secundariò dependenter ab illo: sed bonitas primariò reperitur in fine, secundariò & tamen intrinsecè reperitur in medijs: ergò.

DISPUTATIO II.

DE

Ultimo fine hominis.

INter fines humanæ vitæ finis ultimus primatum tenet, quippe à quo ceteri fines in movendo dependent. Hunc dari clara S. Scripturæ autoritas evincit, ut Prov. 16. *omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Apoc. 1. Ego sum Alpha & omega, incipium & finis.* De quo eodemque non partiali, secundum quid, & in aliquo ordine, sed totali & simpliciter ultimo fit

ARTICULUS I.

An unus homo possit habere plures fines ultimos?

SUMMARIA.

1. Finis ultimus alius verus, alius apparens.
2. Alius formalis & in communi, alius materialis & in particulari.
3. Apud RR. alius positivè, alius negativè ultimè.
4. Conversio in ultimum finem, alia actualis, alia habitualis.
5. Alia in actu signato, alia in actu exercito.
6. Potest accipi tendentia in fines ultimos plures copulativè, vel disjunctivè.